



**B**Runo Coloniae Agrippinorum natus atque educatus fuit. Hic literarum amore sese Lute-  
tiam contulit, atq; bonis artibus operam dedit. Cū  
autem foelici ingenio esset præditus, in Parisiensi  
Academia publicus professor ascitus fuit. In eo lo-  
co magna auditorum frequentia artes & philoso-  
phiam docuit, atque plurimis annis omnibus alijs  
palmam præripere uisus fuit. Cum hoc modo foel-  
liciter pergeret, atque Doctor quidam (cui fami-  
liariter ob communem professionem notus fue-  
rat) mortuus esset, uisus est sibi flebilem eius uo-  
cem exaudire, clamantis: Iusto Dei iudicio dam-  
natus sum. Itaque Bruno horrore obstupescens,

& scholam & urbem relinquere, atque ab alijs locum seiunctum petere sta-  
tuit. Adiunctis ergo sibi septem comitibus in solitudinem secessit, quæ Car-  
thusia dicebatur, atque ibidem piam & tranquillam uitam duxit. Vnde or-  
do monachorum nouus exortus, qui ab eo loco Carthusianus dictus, atque  
à pontificibus approbatus fuit. Is adeò postea excreuit, ut nullus ferè amœ-  
nus locus passim inueniretur, qui non suam Carthusiam habuerit. Floruit  
Bruno anno salutis millesimo octuagesimo sexto. Ioan. Stumpff. libr. 5. ca-  
pite 28. Volat.